

Literas autem, ut operi me accingam, omni laude dignas, imo dignissimas esse, non spero fore, ut nullus sit tam auersus a vero, tam praeceps, tam mente captus tamque excors in hac spectabili Auditorum corona, qui id inficias eat, aut tam iniustus rerum aestimator, qui de eo dubitet; quandoquidem neminem latere puto egregia ista elogia: quod studiis ac literis res secundae ornentur, adversae adiuuentur, & quod bonarum artium studiis animum excolere longè praeclarius sit, quam faciem componere, quorum illud Ciceronis est: hoc vero Thale-tis, Laërtio teste, in vitis Philosophorum L. I. c. I. Quod vero pietas, quae omnes Virtutes in se complectitur, illis non tam iungenda quam praeferenda, & literae pietate cassae nauci sint, vel ipse Tullius cognovit, dum pietas, ait, est fundamentum omnium virtutum, in Oratione pro Plancio; & pietate erga DEOS sublatâ, fides etiam e societate generis humani, & vna excellentissima virtus, Iustitia, tollatur necesse est; libr. I. de natura Deorum. Libr. I. Tusc. Quaestionum Pietatem ac artes coniunxit his verbis: Philosophia omnium mater artium, quid aliud est, quam inuentum Deorum? Haec nos primùm illorum cultum, deinde ad ius hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinem animi erudiuit, eademque ab animo tanquam ab oculis caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, vltima, media videremus: prorsus haec diuina mihi videtur vis, quae tot res efficiat ac tantas. Ut ita mirari subeat, quid illi in mentem venerit, quod in Oratione pro M. Coelio, acerrimi licet ingenii Orator, talia effutire non erubuerit: si quem forte inueneritis, qui aspernetur oculis pulchritudinem rerum, non odore ullo, non tactu, non sapore capiatur, excludat auribus omnem suavitatem: huic homini ego fortasse & pauci Deos propitios, plerique autem iratos putabunt. Ergo haec deserta via, & inculta, interclusa iam frondibus & virgultis relinquatur; detur aliquid aetati, sit adolescentia liberior, non omnia voluptatibus denegentur, non semper superet vera illa & directa ratio, vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem, dummodo illa in hoc genere praescripto moderatione teneatur. Multi enim & nostra & patrum maiorumque memoria summi homines & clarissimi Cives fuerunt, quorum cum adolescentiae cupiditates deferuerunt, eximiae virtutes firmata iam aetate extitere; ex quibus